

1570

Senatui minime probabatur, quod sæpius ex hostium eventis, ac sententiis immutari consilia oporteret, nec, quæ ipsi meditantur, divinari facile possent: opportunam inde Turcas occasionem, ut nostrorum gesta, conatusque explorarent, capturos. In eo potius summo studio enitendum, ut ineunte vere in promptu ac expeditæ sociorum copiæ maritimæ ac terrestres forent, ut exacte ac mature consulta exequi liceret. Neque vero minor de foederatarum classium imperatore controversia cooriebatur, quod Hispani penes Regem jus deligendi esse non contenti, absente imperatore, qui vices illius obtineret, classique universæ imperitaret, ad suum nutum sublegendum contenderent. Multa præterea de Epidauriorum Republica incolumi præstanda, foederis legibus a Pontifice disceptabantur, quod minas in eos a Venetæ classis imperatore intentatas diceret. Qua ex re tantum trepidationis illis injectum fuerat, ut, in conspectum urbis transeunte classe, moenia custodiis militum complerent; portas clauderent; sublicos pontes tollerent; Venetis arma adimerent; atque se veluti ad hostium impetum excipiendum compararent. Verum Epidaurios opprimendi Patrum animos nunquam libido ceperat, cum ex prius Reipublicæ instituto non propagandi imperii ambitio, neque viribus impares subjiciendi ardor Senatum unquam obrepssissent. Id tantum constabat, ut remiges, ac panem nauticum subministrarent, Zannium suadere nixum; atque ut magis christianorum Principum, quam Turcarum rationem haberent, gravissimis verbis admonuisse. Si foedere comprehendere velint, illud cavebatur, ne hostes armis, tormentis, ac bellico apparatu juvarent, impensarum portionem cum reliquis fociis subirent.

*Epidauriorum de Venetæ classe trepidatio.*

Dum his altercationibus tempus Romæ absumeretur, hostes (ut antea exposuimus) ingenti apparatu Cyprum aggressi, magna animorum, corporumque contentione dimicabant; ex quo ingens Patres moeror occupaverat: Initio conceptam de foedere spem imminutam, & labefactatam inani; labore per tot menses Romæ magis animorum obstinatione, quam operæ pretio disceptatum: Quid superesse, nisi ut rei, ac tempori consilia accommodarent, tandemque intelligerent, quam fluxa sociorum auxilia, quam parum propensæ in Venetos Hispanorum

men-